



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio V. Quod sit objectum formale Theologiæ naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

inferiorum sunt conclusiones, sed præmissæ sunt priores cognitione, quam conclusiones: ergo cognitio entis, & substantiæ præcedunt cognitionem inferiorum.

9 Tādē priora sunt inesse cognoscibilis principia complexa vniuersalia, & particularia in Theologia naturali ceteris conclusionibus, & cognitionibus eiusdē: probatur sic, quia hæc veritates sunt à quibus dependet omnis cognitio scientifica, cum principia sint ratio formalis propter quam ceterarum cognitionum, sed ratio formalis propter quam petit necessario, vt sit obiectum prius cognitum, quam illud quod ab eo dependet: ergo principia sunt priora cognitione.

10 Declaratur amplius quia principia complexa non sunt rationes formales ex parte intellectus, sed ex parte obiecti cogniti, cum autem obiecta quæ debent cognosci propter illam non sint per se nota cognoscentibus, non potest in eis esse ratio assentiendi, vel immediata connectio terminorum vel veritas rei cum se ipso, quia hæc non videtur ab intellectu immediate, & ideo necessaria est alia ratio, in qua detur assensus scientificus: hæc autem ratio sunt principia complexa; ergo necessario debet præsupponi cognita quia impossibile est, vt moveatur, & attrahatur intellectus ad assensum propter aliquam rem, seu medium assentiendi, & quod tale medium non cognoscatur ab intellectu, intellectus enim solum movetur media cognitione, sicut in voluntate fieri non potest, vt aliquod obiectum, vel bonitas eius voluntatem moveat ad appetendum aliud quin præcognoscatur tale obiectum movens, ergo multo magis necessarium est in intellectu, vt medium quod intellectum movet ad assensum sic præcognitum ab illo.

11 Dices non esse necessarium vt principia præcognoscantur vt quod, sed sufficere præcognosci, vt quod.

Sed contra, & interrogo, an cognosci, vt quod sit verè cognosci, ita vt intellectus assentiatur, ita esse sicut necesse est, ad motivum assentiendi conclusioni, nam si hoc non est verè cognosci, instat ratio facta, quod impossibile sit talem rationem esse motivum indicans, & trahens intellectum ad assensum si non ante cognoscatur, si autem cognoscatur verè, & propriè principium falso dicitur, non esse obiectum quodcum in se terminet cognitionem mentis, & hoc sit cognosci vt quod.

12 Tandem quia intellectus non assentitur media Theologia naturali veritatibus, quæ sunt materialia obiecta tanquam sibi per se notis ex cognitione terminorum, quia intellectus non videt terminos pro vt in se sunt: ergo necesse est vt in aliquo medio cognoscat connectionem eorum, quod medium non est nisi principium: vnde necesse est vt intellectus propriè, & in se cognoscat tale medium, seu principium verè applicari tali obiecto vel materiæ, & habere proprietatem necessariam, vt reddat illud obiectum infallibiliter, & evidenter cognoscibile; hoc autem nihil aliud est, quam debere cognosci ipsum principium esse in se infallibile, esseque, quasi formam cadentem in tale obiectum, seu informantem illud, vt materiam, vnde evidenter colligitur debere cognosci, vt quod.

QVÆSTIO V.

Quod sit obiectum formale Theologiæ naturalis.

IN hac quæstione non quæritur, quid sit obiectum formale propter quod, quia licet in logica 9. 2. de principiis late probatum manet, obiectum formale propter quod cuiuscumque scientiæ sunt principia illius, vnde principia Theologiæ naturalis erunt obiectum formale propter quod huius scientiæ, solum enim quæritur hic quod sit obiectum formale motivum sub quo, & terminativum metaphysicæ.

SECTIO I.

Sententiæ Adversariorum proponuntur.

PRIMA opinio asserit abstractionem à materia omnino esse obiectum formale sub quo huius scientiæ, sic omnes Thomistæ quibus consentit P. Suarez in metaphysica, licet negaverit esse obiectum formale propter quod disp. 1. sect. 2. num. 12. in fine, qui suam sententiam his verbis probat.

Primo, nam cum scientiæ sint de rebus ipsis, sintque maxime speculativæ, ideoque abstractione utantur vt constituent obiectum scibile de quo possint demonstrationes in fieri recte ex diverso modo abstractionis intelligitur variari obiectum scibile vt sic, & ideo hæc abstractio est ratio formalis sub qua in esse scibilis.

Secundo quia res eo sunt perfectius intelligibiles, quo magis abstrahunt à materia, & similiter cognitio, quæ est de obiecto immaterialiori, & abstractiori eo est certior, & ideo ex diverso gradu abstractionis recte consideratur varietas obiectorum scibilium, & scientiarum.

Secunda scientia est eorum, qui dicunt rationem formalem sub qua scientiæ esse illuminationem seu illustrationem refusam ab habitu in obiectum materiale, & idem dicunt de obiecto formali fidei, id est esse illuminatum à lumine ipsius ita vt nihil aliud sit quam obiectum materiale esse sub lumine fidei, sic Aragon. 2. 2. q. 1. art. 1. Banez, Albertus Magnus. qq. ex parte consentit P. Molina. 1. de quæst. 1. art. 3. disp. 2. & probatur sic.

Primo quia obiectum formale intellectus scientificæ tendentis in obiectum materiale est res evidens, sed non potest esse talis nisi illuminetur à claritate, & evidenti scientiæ; ergo talis illuminatio refusa in obiectum erit ratio formalis, maior sic patet quia in hoc distinguitur scientia à fide, & ab opinione, quia illa tendit in obiectum evidens, hæc vero in obscurum.

Secundo quia illud quod est distinctivum scientiæ à quolibet alio est ratio formalis illius, sed per illuminationem ab evidenti scientiæ distinguitur scientia à quolibet habitu, in quo non potest dari evidentiæ, & claritatis illuminatio; ergo.

SECTIO

SECTIO II.

Nostri sententia explicatur, & probatur.

Prima conclusio, nec abstractio secundum esse, nec abstractio intellectualis ab omni materia est ratio formalis motiva sub qua huius scientia.

Primo probatur hæc conclusio omnibus argumentis quibus vsi fuimus in logica disp. ultim. de principijs, q. 2. præcipue arg. 1. conclusionis, quod incipit ultimo principaliter, & que ad finem illius conclusionis, quibus licet vsi fuerimus ad demonstrandum abstractionem non posse esse rationem formalem propter quam, nihilominus efficacius probant hanc nostram conclusionem; quapropter in præsentia labefactamus Adversariorum placitum.

Secundo probatur prima pars conclusionis de abstractione secundum esse: illa ratio obiectiva in qua tendit formaliter, & quæ convenit alicui non potest esse ratio formalis oppositi illius: sed abstractio secundum esse convenit, & in ipsam tendit formaliter error metaphysicus: ergo non potest ratio formalis esse respectu metaphysicæ scientiæ, quæ est opposita per veram, ac propriam contrarietatem tali errori: maior evidens est, quia cum opposita maximè & essentialiter distinguantur, & tota distinctio sit in ordine ad rationem formalem impossibile est quod illud quod est ratio formalis vnius oppositi conveniat alteri opposito, & in illud formaliter tendat, alias non distinguerentur, & opposeretur essentialiter: minor sic probatur, quia hic error Angelus in quantum spiritualis, est imperfectior ente corporeo, substantia spiritualis in quantum talis creata non distinguitur à Deo; Deus identificatur realiter cum Angelis: ens vt sic non est vnum, nec verum; substantia completa dicit aptitudinem ad componendum per inhaerentiam, tendit formaliter in abstractionem secundum esse ab omni materia propterea quæ ei cõvenit talis abstractio, quod sic probatur, quia nihil aliud est tendere in obiectum sub ratione abstractionis secundum esse, vt explicat ipse P. Suarez in Metaphysica disp. 1. sect. 2. num. 12. ex D. Thom. in prologo metaphysicæ nisi tendere in obiectum quod in re ipsa invenitur sine materia vt Angelus, & Deus, vel quod potest esse in rebus sine materia; sed error talis in metaphysica tendit in Angelum, & Deum, quatenus à parte rei spiritus sunt, vnde quatenus à parte rei sunt sine materia & Angelus enim, Deus talis conditionis sunt quia purissimi spiritus sunt, vt non solum non possint esse in rebus sine materia, imo quod caput est, sicut in se sunt cognoscantur repugnat cognosci cum materia, & cum non repugnantia ad illam, item tendit talis error in rationem entis, & substantiæ vt sic, quæ abstrahunt ab omni materia, quia substantia & ens, vt sic possunt esse in rebus sine materia vt sunt in anima rationali, & Angelis: ergo error metaphysicus tendit, &c.

Dices errorem illum non tendere formaliter in Angelum, seu ratione abstractionis secundum esse, sed tantum materialiter.

Contra, quia nihil aliud est tendere formaliter, in aliud sub aliqua ratione formali nisi tendere in illud quatenus formaliter tale est, & constituitur

R. P. M. de Penafiel, Socol. Schol. Tom. I.

ab illa ratione: sed error metaphysicus tendit in Angelum & in Deum quatenus formaliter abstrahunt à materia, & quatenus tali abstractione constituuntur: ergo tendit formaliter, &c. Maior evidens est, quia nihil aliud est tendere in parietem sub ratione lucis, & albedinis formaliter, nisi tendere in illum quatenus lucidus, illuminatus, & albus est, & constituitur luce, & albedine, sicut nihil aliud est tendere in animam per amorem amando videlicet illam sub ratione iustitiæ, & gratiæ sanctificantis formaliter, nisi amare illam quatenus iusta, & grata Deo est, constituiturque tali gratia, & iustitia; minor sic probatur, quia ille error theologicus seu metaphysicus tendit in Angelum quatenus spiritualis est, & spiritualitate formaliter constituitur, sed spirituale formaliter vt tale est dicit negationem, & abstractionem materiæ; abstrahens, enim est formaliter omne spirituale à materia, & formaliter tali abstractione ab illa constituitur, quia abstractio est negatio materiæ formaliter, nam quod abstrahit ab illa, est quod in re ipsa invenitur sine materia essentialiter, invenire enim seu esse sine materia nihil aliud est, quam negare materiam à se ipso essentialiter.

Tertio quia illa est ratio formalis sub qua alicuius scientiæ in ordine ad quam distinguitur talis scientia, à quolibet alio, sed in ordine ad abstractionem secundum esse, non distinguitur Theologia naturalis à Theologia scholastica, & beatifica: ergo talis abstractio, &c. maior patet: minor sic probatur, quia impossibile est quod in ordine ad illud in ordine ad quod conveniant aliqua: ipsa distinguantur essentialiter sed istæ scientiæ conveniunt in ordine ad abstractionem secundum esse à materia, ergo in ordine ad illam non distinguuntur: hæc maior evidens est, quia ideo homo non distinguitur ab equo essentialiter in ratione substantiæ, vel animalis, quia sunt rationes conveniendi inter illos, & ratio evidens est quia ratio differendi est illa per quam aliqua dividuntur & separantur in essentia, ratio vero conveniendi est ratio se vniendi in illa: vnde impossibile est, quod eadem ratio formaliter sit conveniendi, & differendi, sicut impossibile est, quod eadem ratio sit vniõ seu separatio partium, & ideo ratio differendi nunquam reperitur simul inter illa, quæ differunt, id est in illis simul quæ inter se differunt, & ideo impossibile est quod rationalitas sit in equo & in homine simul, quia homo, & equus essentialiter per illam differunt inter se, contra ratio conveniendi debet necessario reperiri in illis quæ conveniunt simul vt animalitas in homine, & equo simul, vnde si abstractio materiæ convenit etiam illis scientijs, non potest esse ratio differendi inter illas: minor evidens est, quia tunc aliqua conveniunt in ordine ad aliquam rationem quando ab illis respicitur sub eadem ratione, ideo enim omnes actus visionis conveniunt in tendentia ad visibile, & omnes actus in tellectus in tendentia ad intelligibile, quia omnes respiciunt obiectum, hi sub ratione intelligibilis, illi sub ratione visibilis, sed Angelus & Deus respiciuntur à Theologia naturali, visione beatifica, Theologia supernaturali, & scholastica, quatenus abstrahunt ab omni materia secundum esse, & sub illa ratione abstractionis: ergo conveniunt in ordine, &c. hæc minor sic probatur, quia Theologia naturalis, & ceteræ Theologiæ respiciunt Angelum,

lum, & Deum secundum suas essentias, & quatenus formaliter adequatè, & essentialiter distinguuntur ab omni ente corporeo, & materiali, explicando quod illi sint essentialiter in perfectissimo, ac supremo gradu entis spiritualis, ubi datur formaliter negatio omnis materie, per quam essentialiter ab omni ente corporeo distinguuntur, sed quatenus Deus, & Angelus habent tales essentias & formaliter habent negationem omnis materie, respiciuntur ab his Theologis; ergo respiciuntur sub ratione abstractionis à materia omnino, quia negatio omnis materie in entitate, est abstractio ab illa secundum esse, ideo enim Deus abstrahit absolute à materia secundum esse realiter, quia in suo esse dicit negationem realem illius essentialiter.

10 Alio enim modo abstractionis, seu separationis à materia non potest excogitari, neque intelligi ratione cuius aliquod subiectum abstrahatur, ab omni materia abstractione secundum esse.

11 Secunda pars conclusionis de abstractione intellectuali sic probatur; quia ratio formalis adequata obiectiva sub qua, est adequata specificativa, & constitutiva extrinsece scientiæ, & omnium actuum eius: sed abstractio intellectualis metaphysica non potest esse specificativa adequata metaphysicæ, & omnium actuum eius: ergo non potest esse ratio formalis, &c. Maior est evidens, & in confesso apud omnes etiam Adversarios; idem enim est significativum scientiæ, & omnium conclusionum illius, cum non specificetur scientia à ratione formali nisi medio exercitio adequato illius scientiæ, quot sunt omnes conclusiones, & actus talis scientiæ, unde terminus tendentiæ relationis transcendentalis scientiæ formalis est etiam terminus tendentiæ relationis transcendentalis omnium actuum illius, v.g. quia visibilitas est ratio formalis, & terminus tendentiæ specificationis potentiæ visivæ, & veritas, seu intelligibilitas est ratio formalis seu terminus tendentiæ specificationis, & relationis transcendentalis potentiæ intellectivæ, & idem est de appetibilitate respectu potentiæ appetitivæ, &c. ideo visibilitas est ratio formalis seu terminus tendentiæ omnium actuum potentiæ visivæ, & intelligibilitas omnium actuum potentiæ intellectivæ, ac proinde est verum dicere, omnes actus intellectus, & omnes actus visionis essentialiter tendunt in visibile & intelligibile formaliter; minor sic probatur, quia specificativum extrinsecum essentialiter distinguitur realiter ab omni specificato per illud: sed abstractio metaphysica intellectualis non distinguitur realiter ab omnibus actibus metaphysicæ; ergo non est ratio formalis adequata specificativa illius; hæc maior sic probatur, omne quod dependet ab aliquo absolute, & realiter distinguitur realiter ab illo, à quo dependet, cum detur inter illa relatio realis dependentis à dependente, & inter utrumque detur oppositio vera, & realis: relativa, quia omne relativum relativè opponitur alteri, ad quod dicit relationem, sed inter opposita realiter non potest dari identitas realis, cum oppositio sit species realis distinctionis, unde oppositum realiter addit supra distinctionem realem adversantiam, ratione cuius adversarium constituitur: ergo dependens distinguitur realiter ab illo, à quo dependet; sed specificatum dependet realiter ab specificante, quia omne specifica-

tum habet esse speciem, & essentiam ab specificante, hoc enim sonat specificari: sed habere esse ab aliquo est dependere ab illo, & ideo Deus, nec habet esse nec specificatur ab aliqua creatura, nam si scientia divina quæ Deus est, specificaretur ab obiecto creato, dependeret ab illo; ergo omne specificatum distinguitur à suo specificante: minor sic probatur, quia aliquis actus scientiæ non distinguitur ab omni actu ipsius, alias à se ipso distingueretur, v.g. iudicium intellectus licet distingatur à simplici apprehensione, & discursu, non tamen distinguitur ab omni actu intellectus, quia cum iudicium includatur in collectione omnium actuum ipsius, si ab omni quod includitur in illa collectione distingueretur, etiam à se ipso distingueretur, cum ipsum in illa includatur, sed abstractio intellectualis metaphysica est aliquis actus ipsius metaphysicæ; ergo abstractio non distinguitur ab omni actu ipsius: hæc minor sic probatur, quia abstrahere est cognoscere unum conceptum sine alio, qui à parte rei sunt idem inter se, præcipue cum à parte rei non dentur illæ abstractiones, sed sint actiones intellectus humani, tunc enim datur abstractio intellectualis cum consideratur homo, & non consideratur Petrus: quia tunc abstrahimus hominem à Petro: sed ipsa Theologia concipit conceptum entis, & substantiæ ut sic, non cognita neque concepta ratione materie, & corporeitatis, cum qua identificatur ens ut sic, & substantia provi sic; ergo ipsa abstractio à materia est actus Theologicus.

Dices actum Theologicum esse conclusionem, & iudicium, non autem simplicem apprehensionem, unde cum abstractio sit simplex apprehensio, inde evenit ut abstractio non sit actus Theologicus, sed ratio formalis sub qua illius.

Contra, quia ipsa simplex apprehensio etiam est actus Theologiæ naturalis: ergo ex eo quod abstractio sit simplex apprehensio non desinit esse actus metaphysicus, ergo nec ut sit, poterit esse ratio formalis metaphysicæ; antecedens sic probatur, quia impossibile est quod aliquis actus tendat per idem lumen in aliquod obiectum, & quod talis actus non sit illius scientiæ cuius est lumen, sed simplex apprehensio abstrahens ens, & substantiam ut sic à materia, quæque vocatur abstractio intellectualis, tendit in obiectum Theologiæ naturalis per lumen principiorum illius: ergo est actus huius scientiæ. Maior evidens est, tum apud Theologos, tum apud Philosophos, & ideo omnes conclusiones, quæ per idem principium, & lumen oriuntur, cum Principium sit obiectum formale propter quod sunt eiusdem scientiæ: minor sic probatur, quia ille actus intellectus, qui simpliciter sine affirmatione & negatione cognoscit, & tendit in ens ut sic, & in substantiam ut sic, distinguendo illam ab accidenti ut sic, & actus qui cognoscit creaturam ut sic, non esse Deum quia producit ab illo, sunt abstractiones à materia, & tendunt in subiectum materiale Theologiæ, per lumen principiorum illius, videlicet quicquid producit, ab alio producit, hoc enim principium sine controversia metaphysicum est, item per hoc cui debetur substantia, & non dependet ab alio per inhesionem distinguitur ab accidenti, quod est ens petens ex natura sua inhesionem; hoc enim principium etiam metaphysicum est: ergo actus isti qui per illa

Quæst. V. Quod sit obiectum formale eius. 29

illa principia tendunt, quique abstractiones iure optimo nuncupantur, & sunt actus Theologiae naturalis; quod autem isti actus sint abstractiones à materia, sic probatur, quia nihil aliud est abstractio à materia quam actus cognoscens rationem aliquam communem non cognita ratione materiali, seu materialitate, cum qua identificatur talis ratio, v. g. tunc abstraho animal à rationali quando cognosco rationem communem viventis sensibilis, non cognita rationalitate cum qua identificatur animal, sed illa simplices apprehensiones cognoscunt ens ut sic, creaturam, & substantiam in communi non agendo nec cognoscendo differentiam materialem, cum qua identificantur; ergo sunt abstractiones à materia.

13. Confirmatur evidentius, quia illa simplex apprehensio oritur ab aliquo habitu in intellectu existente infallibiliter, & evidenter cognoscente per talem apprehensionem, sed non est alius habitus, nisi Theologiae naturalis, seu metaphysicæ à quo talis abstractio oritur: ergo abstractio intellectualis est actus metaphysicæ; maior evidens est, quia non minorem difficultatem habet intellectus, apprehendendo aliquam veritatem mediatam infallibiliter, & evidenter per simplicem apprehensionem, quam per iudicium, seu discursum: nam ideo intellectus habet difficultatem circa iudicium, & discursum evidentem, quia ex sua natura cum sit imperfectus habet effectibilitatem, & non est determinatus ad veritatem attingendam ex eo quod sit intellectus creatus immeritus perfectioni creaturæ & materialitati sensuum, sed eadem rationes formales creaturæ, defectibilitatis, & materialitatis militant in intellectu respectu simplicis apprehensionis, imo si penitus hoc negotium ponderetur inveniemus radicem totius erroris in iudicio, & discursu esse simplicem apprehensionem, cur enim Barbarus indicat colores iridis, & caruleum celi esse veros colores, & quare PP. antiqui iudicabant erroneè Angelos esse corporeos, nisi quia sic per simplicem apprehensionem concipiebant; unde cum hæc defectibilitas sit causa difficultatis in intellectu circa suos actus, maximam difficultatem habebit sine dubio intellectus, ad hoc ut infallibiliter circa aliquod obiectum, quod non habeat primam, & immediatam veritatem, quotiescunque se applicuerit, exerceatur per simplicem apprehensionem; cum autem habitus necessarius sit ad vincendam difficultatem intellectus, & ut facile, & eodem tenore certitudinis, & constantia evidentie producat actus, inde est quod etiam indigeat habitu ad simplicem apprehensionem producendam.

14. Minor præcipua sic probatur, quia nullus habitus reperitur, qui producat actus tendentes in subiectum materiale metaphysicæ propter obiectum formale propter quod ipsius, nisi ipsa solum metaphysicæ, quia impossibile est quod eadem ratio formalis adæquate, & ultimo specificativa conveniat diversis, ac distinctis essentialiter habitibus, vel actibus, sed isti actus, de quibus loquimur, tendunt in subiectum metaphysicæ propter obiectum formale propter quod illius, quod est ratio formalis ultimo specificativa metaphysicæ: ergo non est alia scientia, à qua producantur tales actus nisi metaphysica.

15. Sed supponamus simplicem apprehensionem,

non esse actum metaphysicæ, nihilominus actus illius scientiæ erit abstractio, ideo simplex apprehensio de substantia ut sic, est abstractio à materia, quia cognoscit substantiam præcisam, à materialibus differentiis, sed actus quo demonstratur aliquid de substantia, ut sic præcisam, id est quo cognoscimus iudicative substantiam, ut sic esse completam perfectionem simpliciter simplicem, cognoscit ipsam substantiam non cognitis differentiis materialibus, & præscindendo ab illis: ergo talis actus est abstractio, unde actus metaphysicæ sine dubio abstractio erit.

Sed ultimo supponamus, quod abstractio non sit actus metaphysicæ, nihilominus abstractio illa non erit ratio formalis huius scientiæ, quia etiam actus erroneus, ut supradictum est agendo de abstractione secundum esse tendit formaliter in obiectum quod abstractum est intellectualiter ab omni materia, sed in rationem formalem non potest tendere error contrarius talis scientiæ: ergo abstractio in quam tendit, non erit ratio formalis talis scientiæ, quod autem tendat, sic probatur, quia ideo actus scientificus metaphysicæ tendit in obiectum abstractum formaliter ab omni materia, quia talis actus agit de illo obiecto, quod licet realiter identificetur cum materia, ut substantia ut sic, nihilominus ut est obiectum talis scientiæ est denudatum à differentia materiali per intellectum; sed iste error, v. g. substantia completa ut sic essentialiter est pars, petit aptitudinalem inhaerentiam, &c. est substantia ut sic præcisam ab omni materialitate, & error quatenus tendit in illam substantiam non cognoscit differentias cum quibus identificatur: ergo tendit in illud obiectum formaliter ut abstractum intellectualiter ab omni materia; ultimo sic probatur cum P. Mendo.

Secundo, quia metaphysica habet plures abstractiones ab omni materia, quam tamen Adversarij admittunt esse unam scientiam specie: ergo metaphysica non distinguitur à cæteris per unam solam abstractionem à materia, maior patet, tum quia metaphysicus considerat conceptum entis, ut sic abstractum ab omni specie substantiæ, & accidentis, quod genus abstractionis est maius quam abstractio generis ab speciebus, quia inter abstractiones per intellectum hæc est maxima, sed abstractiones generis ab speciebus specie differunt ab abstractionibus specierum ab individuis; ergo metaphysica continet plures abstractiones specie distinctas, quia non solum utitur hac abstractione, sed etiam abstrahit multos conceptus individuos ab individuo: ergo, Minor illa sic probatur, ac primum de obiectis, quia gradus genericus magis differt ab specificis, quam specificus ab individuis: ergo illæ abstractiones sunt inter se magis distinctæ: probatur consequentiam, quia earum distinctio est idem ac distinctio obiectiva: antecedens patet, quia species infima continet logicè totam essentiam individuum, quæ ultra conceptum specificum nihil addunt logicæ essentialiter sed accidentarium logicè; at vero species addunt aliquid essentialiter præter genus quod logicè non continet totam essentiam individuum intra quod latent æquivocationes teste Philosopho, homo enim planta, & leo magis differunt sub animali, quam Petrus, & Paulus sub homine, quapropter species, & genus sunt duo prædicabilia specie distincta,

D 3 distincta,

abstracta, de abstractione autem formali idem patet quia hæc sumit speciem ab objectis essentialiter, & specie distinctis, sed abstractiones generis ab speciebus, & speciei ab individuis sunt de objectis specie distinctis, ut probatum est, & confirmatur quia homo supra animal addit rationale quod non concipitur clare conceptu animalis ut sic, ergo abstractiones formales differunt specie.

18 Dices abstractiones istas differre quidem specie quasi physice, non vero in esse scibili, quia omnes istæ cognoscuntur eadem scientia.

Bene certe inquit Hurtadus scientiæ ab Authoribus dividuntur per abstractionem à materia, considerantque abstractionem ipsam secundum se, & pro diversitate abstractionum physice, & secundum se consideratarum dividunt scientias, & dicunt objecta differre, & convenire in esse scibili pro diversitate abstractionum, itaque abstractio ipsa est principium ex quo illi colligunt scientiarum unitatem, & pluralitatem & consequenter illorum rationem in esse scibili. Hæc autem solutio unitatem scientiæ & esse scibilis vult esse fundamentum distinguendi abstractiones, supposita eorum sententiæ, nempe abstractionem esse principium scibilitatis, & pro abstractionum convenientia aut discrimine scientias convenire, aut differre; recte argueretur à posteriori abstractiones non esse diversas quando scientia, à qua oritur esse scibile non est diversa, at vero quando probatur à priori abstractionem esse diversam, probatur etiam objecta in esse scibili esse diversa, & ad scientias pertinere diversas, hi autem misere circulo peraguntur, quia quando agunt de unitate scientiarum recurrunt ad unitatem abstractionum, nunc autem, ut defendant unitatem abstractionum recurrunt ad unitatem scientiarum, ex quo poterunt Adversarij colligere an veritatis copum colliment dum non motu recto, qui magis naturæ hominum conformis est, sed circulari, qui constantiam capitis maxime labefactat, moveantur.

19 Confirmatur 1. nostra ultima & principalis ratio, quia Angelus, & Deus abstrahunt realiter, à materia intelligibili, ens autem ut sic abstrahitur sola ratione nostra quia est indifferens, ut contrahatur ad ens corporeum, sed eiusmodi abstractiones plus differunt inter se quam abstractio per intellectum materiæ sensibilis ab individuali, & quam abstractio etiam per intellectum materiæ intelligibilis à sensibili, quia hæ abstractiones nihil ponunt intrinsicum in objecto, sed solam extrinsecam denominationem: ex parte autem objecti idem sunt re ipsa tres illæ materiæ, at abstractiones istæ à materia physica, & metaphysica secundum esse sunt essentialiter objectis, & petunt intellectuales apprehensiones valde diversas, unde tales abstractiones plus differunt quam species; ergo in metaphysica sunt plures abstractiones à materia, non solum species, sed etiam plus, quam specie differentes.

20 Item Deus non solum abstrahit secundum esse à materia intellectualem physica, sed etiam à metaphysica, materiam physicam voco omne ens formaliter extensum, v. g. includens materiam primam quantitate affectam, quia materia prima est natura unde est materia naturalis, & physica; materiam metaphysicam appello id quod in aliqua compositione reali denominatur more subiecti, ab alio conceptu imitatur formam, quia au-

tem Deus abstrahit secundum esse à materia prima, & etiam à quacunque ratione subiecti, quia in divinis nullus est conceptus accipiens denominationem subiecti ab alio conceptu, sive creato, sive increato, inde est quod Deus abstrahat ab omni materia non solum physica, sed etiam metaphysica: Angelus autem secundum esse solum abstrahit à materia physica, non vero à metaphysica, quia in eo est realiter compositio ex natura, & supposito, ex intellectu, & intellectione, ex voluntate, & amore, ex substantia, & accidenti, in quibus per motum & actionem realem, natura, potentia, & substantia perficiuntur supposito actionibus, & accidentibus ad imitationem perfectionis materiæ per formam, has autem abstractiones secundum esse specie differre constat, quia abstractiones materiæ intellectualis à sensibili, & materiæ sensibilis ab individuali differunt specie, quamvis utraque sit per intellectum: at vero abstractio secundum esse à materia etiam metaphysica, connotat aliud genus materiæ distinctæ à physica intellectuali non per intellectum se à parte rei; ergo tantum differunt abstractiones à materia sensibili intellectuali, & à materia etiam metaphysica, quantum differunt abstractio materiæ intellectualis, & abstractio materiæ sensibilis. Item à parte rei tantum differunt angelica substantia.

Quæ habent abstractiones has, quantum substantia angelica & corporea, quæ habent alias abstractiones.

Ultimo virgetur, & probo ad hominem abstractionem non esse rationem formalem distinguendi unam scientiam ab alia, primo in Physica, quæ pluribus gaudet abstractionibus à materia; nam corpus ut sic, non habet eandem abstractionem quam corpora animata, & inanimata: Scientia item de cælo contemplatur aliqua objecta abstracta ab individuis, alia vero omnino individualia, & singularia; ergo intra eandem scientiam sunt plures abstractiones, & alia objecta non abstracta: Item diversæ scientiæ attingunt objecta sub eadem abstractione; actus enim intellectus humani exerciti in corpore non habet diversam abstractionem in ipso corpore, sed semper eandem: sed Physica eos considerat in *libris de anima*, logica vero eisdem contemplatur; ergo diversæ scientiæ attingunt abstractionem eandem à materia. Et ad hominem, quia aiunt Thomistæ objectum specificativum logicæ esse ens rationis, quod etiam affirmant abstrahi ab omni materia, quæ abstractio est etiam metaphysica, idem patet in fide, & Theologia, quæ specie differunt, earumque objectum formale adæquatum attributionis est Deus eadem semper abstractione gaudens: adde musicā attingere abstractiones mathematicorum & Philosophiæ; contemplatur enim numeros sonoros; sonus autem pertinet ad materiam sensibilem; numerus autem ad intellectualem: perspectiva item attingit lineam, quæ est objectum Geometriæ, & virtualitatem, sensus eludat. Tandem mathematicæ dividuntur in Geometriam, & arithmeticam, sed arithmetica habet duplicem abstractionem à materia; considerat enim numeros materiæ substantialis abstractæ à materia individuali, & sensibili, numeros item substantiæ abstractæ realiter etiam à materia intelligibili.

Secunda conclusio esse illuminatum, seu illustratum formaliter ab evidentia habitus theologici

Quæst. V. Quod sit eius obiecto materiale. 31

logici non est ratio formalis sub qua illius, & probatur.

Primo: esse illuminatum seu illustratum constituitur formaliter per ipsummet habitum Theologiam, quatenus relatum ad obiectum cognoscendum; ergo scientia Theologica non terminatur ad illud obiectum ut illuminatum, & quatenus sub tali illuminatione est; ergo obiectum formale illius non est esse illuminatum ut tale, antecedens sic probatur & sumitur à simili ex Aristotele, quinto metaphysica, capite decimoquinto, dicente obiectum esse scitum quatenus scientia refertur ad ipsum; est enim ex relativis non mutuis, quæ talia denominantur per habitudinem aliorum ad ipsa: ergo idem est cum proportionem in obiecto illuminato, & illustrato ab evidentia Theologiæ naturalis, item quia evidentia Theologiæ quia est de essentia ipsius adequatè est idem cum ipsa Theologia; ergo si constituitur ab evidentia illius formaliter, constituitur formaliter ab ipsa Theologia.

23 Consequentia præcipua & prima sic probatur ex Aristotele *ibidem*, quia alias committeretur circulus vitiosus, & idem à se ipso constitui, & specificari extrinsece dicitur, quod est summum absurdum, nam scientia constituitur per habitudinem ad subiectum formale, sed hoc ipsum obiectum formale, quod est illuminatum, & illustratum per scientiam constitueretur per ipsammet scientiam in esse illuminati formaliter; cum ipsa lux, illuminatio, seu evidentia scientiæ sit causa constitutiva obiecti in esse illuminati, probatum est; ergo de primo ad ultimum ipsa Theologia naturalis à se ipsa specificatur extrinsece realiter; quia quod est causa causæ est causa causati, sed scientia est causa constituendi obiectum in esse illuminati formaliter, & ipsum obiectum formale est causa extrinsece constituendi ipsam scientiam; ergo scientia est causa sui ipsius, unde erit relata ad se ipsam, & opposita respectu sui ipsius, quia relata inter se opponuntur realiter; unde, & distincta realiter, & per consequens erit idem & non idem, quod est contra omnium evidentissimum principium; videlicet impossibile est idem simul esse, & non esse.

24 Confirmatur quia obiectum formale, quia est causa specificativa à qua dependet Theologia naturalis debet esse principium essentialiter, & præsupponi secundum suum esse; ergo esse illuminatum non est obiectum formale illius; antecedens evidens est; quia omnis causa realis constitutiva alicuius debet esse prior prioritate natura reali suo constituto, sed obiectum formale est causa extrinseca realis, sive finalis, sive formalis constitutiva realiter scientiæ; ergo præsupponitur realiter & est prius, quam ipsa scientia specificata; signumque evidens huius prioritatis obiecti respectu scientiæ est, quia ante quam generetur scientia tendit intellectus per primum suum actum in obiectum formale, & prius natura assentitur illi, quam habeat habitum; & ideo est verum dicere talis scientia est Theologia naturalis, quia generatur per actum Theologicum, & talis actus est Theologicus, quia specificatur, & est in ordine ad tale obiectum formale; unde evidenter sequitur, quod constitutio obiecti formalis est prior constitutione habitus Theologiæ; consequentia præcipua sic probatur; quia effectus formalis alicuius

formæ non præsupponitur secundum esse realiter, nec est causa suæ formæ. Quis enim unquam poterit dicere, quod homo præsupponatur realiter ante productionem animæ rationalis, nec quod constituit intrinsece ipsam; sed esse illuminatum, & illustratum est effectus formalis evidentiae, seu illuminationis scientiæ habituales, quæ est ipsa entitas & essentia scientiæ; ergo non præsupponitur ante ipsam scientiam, sed sequitur realiter ad illam.

Ultimo principaliter sic probatur. Quia illa illuminatio seu evidentia, quæ est forma illius illuminati non se tenet in sua entitate ex parte obiecti, sed tota essentialiter ex parte intellectus solum extrinsece denominando obiectum; ergo non est ratio formalis Theologiæ: antecedens est evidens; quia evidentia scientiæ, quæ est ratio formalis denominandi obiectum extrinsece est ipsa scientia essentialiter, sed ipsa scientia non se habet ex parte obiecti, quia est principium se habens ex parte intellectus; scientia enim est habitus datus intellectui ut informando illum formaliter concurret active cum intellectu ad actus prompte producendos circa tale obiectum formale, nam scientia non datur ut reddat obiectum proportionatum habitui, v. g. Theologiæ naturalis, sed potius ut reddat potentiam facilem ad tendendum in tale obiectum; ergo ratio formalis constituens illuminatum in quantum tale non se tenet ex parte obiecti, sed intrinsece ex parte intellectus.

Consequentia prima, & præcipua sic probatur, ideo species expressa non potest esse obiectum formale respectu habitus intellectualis, neque lumen gloriæ respectu visionis beatificæ, quia species expressa se habet ex parte intellectus, & idem est de specie impressa, quæ & lumen gloriæ sunt principia se habentia ex parte intellectus constituentiaque ipsum in actu primo ad suos actus producendos circa tale obiectum; ergo evidentia seu claritas scientiæ, quæ se habet ex parte intellectus non potest esse ratio formalis obiectiva respectu Theologiæ naturalis, quia ubique est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis; item quia respectu omnium actuum distincta sunt realiter causa efficiens actus, & ratio formalis motiva illius, v. g. in potentia visiva, intellectus informatus specie impressa visio, & visibile distinguuntur realiter. Præterea motivum actus charitatis non est causa efficiens ipsius actus, sed alia ratio extrinseca est motivum formale, quæ potius exercet munus causæ formalis, seu finalis, quam efficientis actus; ergo evidentia Theologiæ, quæ est ipsa Theologia, cum sit causa efficiens actus Theologici, non potest esse ratio formalis illius.

Tertia conclusio: ratio formalis sub qua Theologia naturalis, est cognoscibilitas in obiecto materiali ipsius Theologiæ per principia propria, & evidentia talis scientiæ; hoc est potentia passiva, quam habet subiectum, & obiectum materiale metaphysicæ, ut attingatur ab ipsa evidenti modo, mediis suis proprijs principijs; hæc conclusio sic explicata adeo evidens est, ut nullus si rectè, ac æqua veritatis lance ponderaverit, possit illam in dubium aliquomodo revocare.

Est expressa sententia D. Thomæ 1. par. quæst. 1. art. 4. in corpore ubi sic ait; respondeo dicendum quoad

quod sacra doctrina vna existens se extendit ad ea quæ pertinet ad diversas scientias philosophicas propter rationem formalem, quam in diversis attingit scilicet propter sunt divino lumine cognoscibilia. Sic Angelicus Doctor, ubi conclusionem nostram aperit tueretur, nostroque placito liquide, eisdemque nostris verbis patrocinator, scilicet quod ratio formalis sub qua sit cognoscibilitas per lumen; ergo cognoscibilitas per lumen Theologicum naturale, hoc est per principia metaphysicæ erit ratio formalis huius scientiæ, idem repetit Sanctus Doctor alijs multis in locis, vt in disputatis, *q. de veritate, & eadem i. parte, q. i. art. 1. & 4. contra Gentes, & q. de potentia.*

Probatur nunc ratione, quia obiectum formale sub quo respectu cuiuscunque potentiæ, seu habitus est capacitas passiva obiecti, & subiecti materialis ratione cuius tendit habitus, seu potentia per talia media formalia in illud obiectum, vt circa illud exerceatur: sed cognoscibilitas evidens in subiecto Theologiæ per proprios actus & principia est capacitas passiva in illo, ratione cuius attingitur à Theologia naturali per media formalia Theologica; ergo talis cognoscibilitas est obiectum formale sub quo Theologiæ naturalis: maior evidens est, imo est in confesso apud omnes tam Philosophos quàm Theologos, qui recto veritatis tramite incedunt ad veritatisque sinistram navigationis suæ cursum dirigunt. Et probatur inductione manifestissima tam in potentijs spiritualibus quam corporeis; nam respectu potentiæ visivæ, ratio formalis sub qua est visibilitas, quæ nihil aliud est nisi capacitas, seu potentia passiva in lumine, & colore, vt per actus potentiæ visivæ cognoscantur: respectu intellectus est intelligibilitas, seu veritas, quæ nihil aliud est quàm potentia passiva in obiecto intellectus, vt ab illo cognoscatur; respectu voluntatis est bonitas, seu amabilitas vel cum apprehensione vel sine illa, vt abstrahamus ab opinionibus, quæ amabilitas etiam est potentia passiva in obiecto, vt ametur à voluntate, etiam est evidens in habitibus: nam respectu fidei est credibilitas per testimonium divinum, seu revelationem supernaturalem, id est, potentia passiva vt credatur à fide; respectu logicæ vt practicæ est dirigibilitas respectu illius vt speculativæ speculabilitas, seu cognoscibilitas evidens; respectu medicinæ est sanabilitas, vel potentia passiva vt subiectum acquirit sanitatem; respectu artis fabrilis, & argentariæ dirigibilitas in ligno & argento, quæ sunt potentiæ passivæ in obiectis, vt per actus illarum attingantur; ergo si omnia obiecta formalia, tam potentialium quam habituum sunt illæ potentiæ passivæ vt attingantur proprijs actibus illarum, & non est proprium alicuius habitus, seu potentiæ vt ex inductione facta constat, imo vt evidentius constat, hoc etiā in potentia Dei potentia habet pro obiecto formali dirigibilitatem creaturarum, quæ est potentia passiva logica ad hoc vt respiciantur creaturæ à Deo, ergo signum evidens est rationem formalem sub qua cuiuscunque principij essentialiter ordinari ad obiectum necessario esse aptitudinem passivam obiecti, vt attingatur à tali principio medijs proprijs actibus, cum tam varia principia vt sunt habitus, tam supernaturales quam naturales, tam scientifici quam non, & etiam omnes potentiæ tam increatæ quam creatæ, quæ omnia non conveniunt nisi in ratione communissima principij productivi; ergo propter illam solum

rationem universalissimam in qua conveniunt, habent hæc omnia talem rationem obiectivam formalem sub qua. Quia effectus vel quasi effectus communissimus non potest oriri nisi à causa communissima, sed Theologia naturalis est principium essentialiter ordinatum ad obiectum productivumque intellectuum circa illud; ergo ratio formalis obiectiva huius scientiæ erit potentia passiva in obiecto illius, vt cognoscatur ab ipsa Theologia evidenti modo per proprios actus, & principia; quia quidquid realiter, & intrinsece convenit rationi communi vt sic, convenit omnibus inferioribus contentis sub tali ratione; v. g. quia intellectui vt sic convenit essentialiter habere pro ratione formali sub qua intelligibilitatem, omnibus intellectibus particularibus convenit eodem modo, & idem est de visione vt sic, & omnibus visionibus respectu visibilitatis: minor præcipua evidens est, nam cognoscibilitas evidens Theologiæ, vt ex ipso nomine constat, est potentia passiva in obiecto, vt cognoscatur evidenter à Theologia naturali per media formalia illius, quæ sunt principia ratione quorum eruit conclusiones; Quod autem sit potentia passiva sic patet, quia sicut se habet intelligibilitas respectu intellectus, visibilitas respectu visionis & amabilitas respectu voluntatis, sic se habet cognoscibilitas evidens Theologica respectu Theologiæ naturalis, sed illæ sunt potentiæ passivæ, seu capacitates ex parte subiectorum, vt medijs actibus attingantur ab illis potentijs, vt omnes sapientes concedunt; ergo & ista, &c. ²⁷

Nec obstat dicere, quod non respectu omnium habituum sit ratio formalis sub qua capacitas passiva ex parte obiecti, vt videre est in logica, quæ non habet dirigibilitatem pro obiecto formali sed directionem passivam.

Non inquam obstat, quia præterquam quod latissime demonstratum manet in logica, obiectum formale illius quatenus practicæ, & directivæ esse dirigibilitatem, & quatenus speculativæ speculabilitatem, nunc sic demonstrat. ²⁸

Quia ratio formalis sub qua debet eodem tenore procedere respectu omnium, cum non sit maior ratio quare respectu vnius debeat esse capacitas passiva ex parte obiecti, non vero respectu aliorum; nam cur potentia visiva habeat pro obiecto formali sub quo visibilitatem; & intellectus intelligibilitatem; voluptas amabilitatem, vel odibilitatem; auditus audibilitatem; medicina sanabilitatem; ars ferraria dirigibilitatem in ferro, quæ sunt capacitates passivæ ex parte obiectorum talium artium, vel potentialium, habituumque, & ceteri habitus non habeant illam? cum evidens signum veritatis, & certitudinis alicuius opinionis sit constantia & tenor in iudicando, ac docendo. Quo argumento convincuntur ac confunduntur hæretici vt falsitatem suam agnoscant, ex eo quod tanta varietate utantur in credendis rebus, & assensum præbendo illis, nam in vna re credunt Ecclesiæ Catholicæ, in altera non credunt, in hoc mysterio vnum assensum, aliud in alio fatentes; ergo signum etiam evidens erit veritatis ac certitudinis nostræ conclusionis constantia, & idem mirabilis tenor in asserendo obiectum formale sub quo omnium potentialium, & habituum esse eiusdem rationis, scilicet capacitatem passivam respectu obiectorum materialium, vt per proprios actus, & media formalia talia subiecta vel obiecta attingantur ab illis potentijs, ²⁹

Quæst. V. Quod sit obiectum formale eius. 33

tentis, ubi relictum mirum in modum & uniformitas, & pulcherrima seu speciosissima, seu concolor varietas, uniformitas in hoc quod omnes potentie seu habitus habeant pro obiecto formali sub quo capacitatem passivam, ut dixi, varietas autem ostenditur, ut iura diversarum scientiarum, & potentiarum servantur in hoc quod vnaqueque scientia, ars, seu potentia respiciat diversam capacitatem passivam, cuius diversitas, & distinctio specifica sumitur à distinctis medijs formalibus, principiis obiectivis seu cunctibus; ut v.g. capacitas passiva logica est distincta quia est in ordine ad distincta principia propria ipsius logica; & capacitas passiva metaphysica distinguitur à capacitate obiecti Philosophiæ propter diversa principia utriusque, ratione quorum distincto modo tendunt scientiæ in tale obiectum, sicut etiam capacitas passiva ex parte obiecti intellectus, distinguitur à capacitate passiva ex parte obiecti potentie visivæ, quia tales potentie diversa lumina seu media formalia connotant, nam respectu intellectus lumen spirituale, respectu autem potentie visivæ lumen corporeum connotatur.

Convincitur hoc totum evidenter exemplo obiecti formalis propter quodnam omnes scientiæ habent tale obiectum eiusdem rationis, cum convenient in ratione superiori, & cum distinctione ex parte differentiarum contrahentium, ratione cuius distinctas scientias specificant: omnes enim scientiæ habent pro obiecto formali propter quod principia propria, ita metaphysica habeat metaphysica principia, superiora quidem tam ente creato, quam increato. Philosophia habet pro obiecto formali principia, sed tamen naturalia, & physica: Itaque convenient omnes in eo, quod habeant pro obiecto, ut dixi, formali propter quod principia; distinguuntur autem, quia vna scientia respicit distincta principia, ac alia ergo similiter debet dici, quod omnes scientiæ convenient in hoc, ut habeant pro obiecto formali sub quo capacitatem passivam dictam, distinguantur autem, quia vnaqueque respicit distinctam capacitatem passivam connotantem diversa principia, seu media formalia ac alia scientia respicit; unde cum varietate quæ causat pulchritudinem, mira splendebit uniformitas, mirabilis tenor, ac constantia reperietur, quod aliter in sententia Adversariorum contingit, nam in vno ut Hispani dicitur *dicen fessa, y en otro balleste*, quod est evidentissimum falsitatis in opinando indicium.

Secundo, quia illa ratio quæ informat subiectum scientiæ, & se habet ex parte illius, & non cognoscitur in actu signato expresse, sed in actu exercito, est ratio quare attingatur obiectum, & ratio formalis sub qua illius, sed cognoscibilitas evidens Theologiæ naturalis se habet ex parte obiecti Theologiæ, & non cognoscitur in actu signato, sed est ratio in actu exercito, ut obiectum terminet habitum Theologiæ naturalis; ergo est ratio formalis, & maior evidens est; minor sic probatur; nam Deus, v.g. cum de ipso demonstratur quod sit infinite perfectus, quod sit causa omnium rerum, terminat habitum Theologiæ naturalis ratione cognoscibilitatis Theologiæ, quæ in se habet; nam si non esset cognoscibilis Theologicæ non cognosceretur à Theologia, sed ex vi illius demonstrationis, & actus non cognoscitur cognoscibilitas Dei cognoscendo

R. P. Ildeph. de Peña, Theol. Schol. Tom. I.

expresse Deum esse cognoscibilem, quia ad hoc necessarius est actus reflexus, nam ex vi illius demonstrationis tantum cognoscitur illud quod demonstratur, & exprimitur clare per ipsam demonstrationem, cum autem per ipsam demonstrationem non demonstretur, nec exprimitur clare Deum esse cognoscibilem, v. g. in hac demonstratione: Deus est ens à se, & independens; sed quidquid est ens à se, & independens est infinitum, & illimitatum; ergo Deus est infinitus, & illimitatus; ubi negatio fit cognoscibilitatis Deo: si in illa conclusione poneretur, est cognoscibilis, esset imperfectus syllogismus; ergo ex vi illius demonstrationis non cognoscitur cognoscibilitas Dei, quæ licet tunc non cognoscatur, est tamen ratio formalis quare cognoscitur subiectum illius cognoscibilitatis, & hoc est cognoscibilitatem esse rationem formalem in actu exercito movendi; maior præcipua liquido patet; nam visibilitas, & amabilitas sunt rationes formales potentie visivæ & volitivæ; visibilitas non cognoscitur à potentia visiva, & voluntas quando amat Petrum, non amat amabilitatem Petri. Evidentius exemplum fit in sententia D. Thomæ; nam apprehensio est ratio formalis sub qua voluntatis, & nihilominus nunquam amatur apprehensio, sicut nec visibilitas videtur, quia non est visibilis illa, sed tantum intelligibilis ab intellectu, & nihilominus hæc omnes sunt rationes in actu exercito, quare obiecta terminant actus illarum potentialium; ergo illa est ratio formalis, &c.

Dices illam cognoscibilitatem esse denominationem extrinsecam à scientia, & ideo non esse rationem formalem sub qua.

Sed contra, quia hæc obiectio procedit ex falso principio. Nam cognoscibilitas Theologica evidenter non significat denominationem extrinsecam à scientia, sed aptitudinem proximam in obiecto Theologiæ, ut sub Theologiam cadere possit, attingique ab actibus illius scientiæ subiecti talis intelligibilitatis per principia propria; quæ quidem aptitudo ex parte eius supponitur, sicut cum dicitur obiectum intellectus esse intelligibile; & obiectum visus esse visibile; illud esse intelligibile, & visibile non debet sumi per denominationem extrinsecam ab intellectu, & visu; alioquin omnes Philosophi errarent, qui talem intelligibilitatem assignant pro ratione formali intellectus, quia nihil explicarent, sed potius peterent principium, committerentque circulum vitiosum declarando obiecti unitatem ex unitate potentie; oportet ergo ut per eam vocem significetur ex parte obiectorum Theologiæ ob quam censeantur habere quasi aptitudinem proximam, ut eidem scientiæ per se obijci possint, sicut lumen, & color propter visibilitatem non obstante diversitate inter illa, in esse entis obijciuntur eidem potentie visivæ.

Ultima conclusio. Ratio formalis terminativa Theologiæ naturalis est entitas ut entitas est; hæc conclusio sine controversia ab omnibus admittitur sapientibus, eamque quasi certissimam assert Caietanus 2. par. cuius verba proponam, quia subtiliter explicant nostram sententiam hoc modo: [Nota duplicem esse rationem formalem obiecti in scientia, alteram obiecti ut res, alteram obiecti ut obiectum; vel alteram ut quæ, alteram ut sub qua; ratio formalis obiecti ut res, quæ primo terminat actum intellectus, & habi-

E tus

tus & ex qua fluunt passionēs illius obiecti, & quæ est mediū in secunda demonstratione, vt entitas in metaph. mobilitas in naturali:] Sic ille. Hæc conclusio est expressa Arist. 2.6.7. & 8. *metaph.* sed præcipue 4. lib. vbi sic ait, in *principio illius* loquens de metaphysica. [Est scientia quæ speculatur ens prout ens est.] & *tex.* 10. sic ait [Nulla namque cæterarum vniuersaliter de ente, prout ens est considerat] præter hanc; & *tex.* 4. sic inquit [Patet itaque vnius scientiæ esse, & entia prout entia sunt speculari] & paulo post. [Manifestum igitur (inquit) quia entia vnius est scientiæ speculari in quantum entia.] Quibus omnibus in locis ait Dñs Thomas explicando Aristotelem, verba hæc: scientia est quæ speculatur ens secundum quod ens, & secundum quod habet entitatem.

Ex his omnibus locis Aristotelis sic colligo, quia quando respectu alicuius principij tendentis circa aliquod subiectum reduplicatur tale subiectum, in illo ratio formalis terminativa ipsius, est ratio formaliter constitutiva illius secundum esse quod reduplicat: v. g. quia visio beatifica tendit in Deum vt Deum, Deitas formaliter constituens illum in illo esse Dei reduplicato, est ratio formalis terminativa visionis; ergo si Theologia tendit in ens vt ens, entitas vt entitas quæ constituit illud erit ratio formalis Theologiæ.

Probatur ratione, quia illa est ratio formalis terminativa in omnium sententia, Dñi Thomæ, & Aristotelem sequentium, quæ est ratio formaliter constituens adequatè subiectum in eo esse quod præcipue attingitur à scientia; & ideo humanitas est ratio formalis terminativa scientiæ de homine; quia humanitas constituit formaliter hominem in esse hominis, quod esse, quod primario, & principaliter à scientia de homine attingitur; & idem est de diuinitate respectu Dei in ordine ad Theologiam per se infusam; sed entitas vt entitas est ratio formalis adequatè constituens ens in quantum ens, sicut albedo constituit album, & est esse quod præcipue attingit Theologia naturalis, vt ex locis Aristotelis, & Diui Thomæ patet; ergo entitas vt entitas, &c.

SECTIO VLTIMA.

Soluantur argumenta Adversariorum.

AD primum primæ, negatur quod scientiæ vtantur abstractione vt constituent obiectum in esse scibilis, nam vt patet ex Diuo Thomæ, & ex Aristotele obiectum ex se ipso est scibile ante ipsam scientiam; quia scibilitas est capacitas seu aptitudo proxima quæ datur ex parte obiecti ad distinguendam scientiam ab alijs, & constituendam illam, ac specificandam, ac proinde debet supponi ante omnem scientiam, quia est causa illius, causa enim supponitur ante effectum; ergo obiectum cum sua scibilitate, cum sit causa specificativa scientiæ supponitur ante ipsam; ergo non potest vti scientia abstractione, vt constituat obiectum in esse scibilis, quia iam scientia esset prior & esset posterior respectu scibilitatis obiecti; & è contra scibilitas obiecti esset etiam prior, & posterior respectu scientiæ.

Quare absolute dicendum est nullo modo constitui obiectum in esse scibilis per abstractionem, sed per aptitudinem proximam iam dictam, connotando principia ad quæ vltima resolutio specificationis scientiæ reducitur hac gradatione, vt scientia medijs actibus distinguatur, & specificetur per ordinem ad cognoscibilitatem distinctam à quacunque alia alterius obiecti, talisque cognoscibilitas dicatur taliter distincta vel per connectionem, connotationem, vel relationem ad talia distincta principia, in quibus totus ordo specificationis sistit, ac terminatur tanquam in fine vltimo illius, & ideo S. Thom. 2.2. *quæst.* 2. *art.* 1. ex parte obiecti scientias distinguit per principia seu per præmissas demonstrationis, quæ sunt obiectum formale propter quod; neque vero agit solum de scientia æquali, sed de scientia habituali totali, quia fidem distinguit per primam veritatem in dicendo, & articulos fidei, quæ sunt principia ex quibus movetur fides in alia obiecta. Item 6. *metaph.* *lect.* 1. ostendit cum Aristotele scientias discriminari pro definitionum discrimine; definitio enim principium est, & 1. *part.* *quæst.* 1. *art.* 3. & *quæst.* 77. *art.* 3. distinguit actus videndi intellectualiter, & corporee pro varietate luminum, quæ sunt obiectum formale propter quod.

Ad secundum, respondetur concedendo res eo esse perfectiores quò magis abstrahunt à materia, non ita vt ipsa abstractio sit ratio formalis constituendi res in esse intelligibilem; quia vt iam sæpe diximus intelligibilitas est ratio constituendi res in esse intelligibilem, quæ intelligibilitas nihil aliud est quam aptitudo proxima vt diximus; vnde minime est abstractio; nam abstractio à materia si sumatur secundum rem est negatio materiæ, & hoc modo non est intelligibilitas, quia intelligibilitas, vt patet in *tractatu de veritate*, consistit in alia negatione, de qua ibi loquimur late: si autem sumatur abstractio pro ea quæ intellectualis est, & actiue est actus intellectus cognoscens rem sine materia: & si sumatur passiue, est denominatio extrinseca ab ipsa cognitione, atqui intelligibilitas minime est cognitio, nec denominatio extrinseca à tali cognitione, sed potius est obiectum formale cognitionis præsuppositum ad illam, & prius illa, vnde minime ipsa, cum talis cognitio non possit esse prior se.

Ex quibus omnibus colligo abstractionem realem à materia esse individuum perfectioris cognoscibilitatis; ex eo enim quod aliqua res spiritualis est abstracta secundum rem à materia, & quia est spiritualis, & abstracta ab illa est perfectior in sua entitate, vnde perfectior in sua intelligibilitate; vnde cum ambæ negationes, seu proprietates, intelligibilitas nimirum, & abstractio radiceantur in perfectiori essentia, recte ab vna ad aliam fit argumentum, non tanquam à rationibus formalibus, id est non ex eo quod vna sit ratio formalis alterius, quia nec cognoscibilitas est ratio formalis abstractionis, nec abstractio est ratio formalis cognoscibilitatis, sed solum quia radiceantur vt dixi in vna radice, & quia ambæ consequuntur necessario ad illam. Deinde negatur ly, similiter, quia error potest tendere in obiectum abstractius à materia obiecto scientiæ, & nihilominus talis error, nec certitudinem, nec evidentiam habebit. Quare non potest dici ideo præcise habere certitudinem, & evidentiam aliquam

aliquam cognitionem, quia tendat in obiectum abstractum, unde negatur ultima pars illius argumenti.

Ad primum secundæ sententiæ respondetur distinguendo maiorem: est evidens, id est, evidenter cognoscibilis, non per denominationem extrinsecam ab habitu scientiæ, sed per cognoscibilitatem iam sapè explicatam, & in hoc sensu concedo; est evidens actualiter & extrinsecè nego: quia ut sic non est obiectum formale, sed potius extrinsecus effectus formalis scientiæ, & posterior illa, ut iam probatum reliquitur; ad minorem negatur quod evidenter cognoscibile sit à scientia, imo potius ut sic supponitur ante illam.

Ad ultimum respondetur distinguendo maiorem; quod est distinctum extrinsecè, & se habet ex parte obiecti constituens illud in esse motivi, & præsupponitur ante scientiam concedo; Quod est distinctum à posteriori, & sequitur ipsam scientiam nego: cum autem sic se habeant esse illuminatum, & illustratum, sequanturque ad ipsam scientiam, ideoque non sunt obiectum formale sub quo illius.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Theologia naturalis sit simpliciter vera & propria Sapientia?

SECTIO I.

Sententia adversaria proponitur.

Prima sententia asserens Theologiam naturalem non esse sapientiam: sic probatur.

Primo, quia ut asserit Aristoteles, 1. *Magnorum moralium*, sapientia hæc scientia, & intellectus constat, sed Theologia naturalis non constat ex scientia, & intellectu; ergo non est sapientia; minor sic probatur. Quia intellectus tendit in principia, scientia tantum in conclusiones tendit; ergo solum est scientia, unde non est simul scientia, & intellectus, & sic non erit sapientia.

2. Secundo, sapientia est maxima inter omnes virtutes intellectuales iudicans, & ordinans illas, ut colligitur ex Aristotele 2. *Metaph.* sed Theologia naturalis non potest esse maxima inter omnes virtutes intellectuales; ergo non est sapientia: minor sic probatur; quia implicat quod Theologia nostra sit altior quam habitus principiorum à quo illa procedit, quia effectus non excedit causam.

3. Tertiò, Quia sapientia debet esse certior, & evidentior omni scientia, sed mathematica excedit Theologiam naturalem incertitudine, & evidentia; ergo Theologia naturalis non est certior, & evidentior omni scientia, unde non est sapientia.

SECTIO II.

Aliqua notantur ad nostram sententiam explicandam.

Advertendum est duplicem esse acceptionem sapientiæ. Primo enim accipitur sapientia pro quocunque habitu intellectivo cuiuscunque

R. P. Ildeph. de Penafel, Theol. Schol. Tom. I.

generis sit, sive sit scientificus sive non; dum tamen sit ita præstans, ut certissime sine periculo errandi, ac firmissimè in sui obiecti cognitione versetur, in hac acceptione docet Aristoteles 1. *metaph.* & 10. *Magnorum moralium*, cap. 3. 5. & 6. *Ethic.* cap. 7. generali quadam ratione sapientem appellari, qui in sua arte, aut scientia exactissimus est, illamque perfecte caller, & qui non tantum scit, aut cognoscit ea quæ ex principiis deducuntur, sed etiam cognoscit ipsa principia, rationemque suæ artis tradit inquirenti, cur hoc, vel illo modo operetur tali arte ductus: Hoc exprimit his verbis lib. 1. *Metaph.* Artificesque iis, qui experientia rerum valent sapientiores esse arbitramur id quod ex eo accidit, quod illi causam sciunt, ij non item & in hoc sensu loquutus est D. Thomas 1. *part. quæst.* 1. art. 6. in corpore ubi sic ait. [ille sapiens dicitur in vnoquoque genere qui considerat altissimam causam illius generis, ut in genere ædificij artifex qui disponit formam domus dicitur sapiens, & architector respectu inferiorum artificum] unde dicitur 1. *Corinthiorum* 13. at sapiens architector fundamentum posuit, & rursus in genere totius humanæ vitæ prudens, sapiens dicitur, in quantum ordinat humanos actus ad debitum finem; unde dicitur *Proverbiorum* 1. Sapientia est viro prudentia.

Secundò, sumitur sapientia latissime non propter denotat determinatum aliquem habitum ut asserit eximius Doctor Pater Franciscus Suarez; sed pro rectitudine quadam intellectuali ad bene iudicandum de rebus omnibus consurgente ex perfecta consequentia scientiarum omnium ad eum modum, quo iustitia in vna acceptione non significat unum habitum in particulari, sed coniunctionem omnium virtutum moralium, & in hac acceptione definivit illam Cicero 4. *Tusculanarum*, & 1. *de Officiis*, dum ait: sapientia est rerum humanarum, atque divinarum causarumque, quibus hæc continentur, scientia.

Tertiò, accipitur sapientia propriissime, pro quodam habitu intellectus scientifico & determinato, qui perfectione ac præstantia superat omnes scientias naturales, ac de rebus perfectissimis summaque omnium causarum causa Deo nimirum maxima delectatione agit, & quia in hac acceptione sapientia maxima certitudine, ac evidentia, qua fruitur maximopere, nimumque oblectet mentem sapida scientia nuncupatur, & in hoc sensu agit de illa Arist. 1. *met.* cap. 2. & lib. 2. cap. 1. & lib. 3. cap. 2. 6. *artic.* cap. 2. cui hæc conditiones, & proprietates adscribit lib. 2. *met.* cap. 2.

Prima conditio sapientiæ est ut agat de præstantissimis naturis, per universalissima principia, iudicando de ipsis principiis, & etiam ut agat de altissima totius univ. causa. Hanc conditionem tradunt Aristoteles & D. Aug. Arist. loco citato, & 6. *Ethic.* c. 1. his verbis: constat igitur ex his sapientiam esse rerum præstantissimarum naturam scientiam sapientem; igitur non solum ea, quæ ex principiis sunt cognoscere, sed etiam circa principia ipsa verum dicere oportet, quæ verba etiam repetit, 1. *mag. mor.* cap. 33. D. Aug. lib. 2. *de Trinitate*, his verbis; hæc sapientiæ & scientiæ recta distinctio, ut ad sapientem pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis: ad scientiam vero temporalium rationalis cognitio, ultimum autem partem conditionis tradidit D. Thom. 1. *p. q.* 1. art. 6. in corpore, sic, Ille igitur qui

E 2 considerat